# ORATIO AD SIXTUM 5. PONTIFICEM MAX. NOMINE CIUITATIS AUENIONIS...

François ; giureconsulto> Suarès (; giureconsulto>)

## *Ampliſsimo, atque Reuerendiſsimo Domino Ioanni Angelo Rapio, S. D. N. Papæ vtriuſque ſignaturæ Referendario, &c.*

F. Suares Iuriſc. Auenion. *S.*

OFFERO tibi, (Ampliſſimę Papi) leue quidem munus vnius, vel alterius horæ, ſed tamen perpetui mei erga te ſtudij teſtimoniũ aliquod futurũ, quod quidem, licet multorum flagitationibus oppugnarer, nunquam tamen paſſus eſſem me expugnari, vt in lucem emitterem, niſi tu mihi vnus auctor extitiſſet; vt ederem, Nec enim timendum mihi eſſe duxi, hominum iudicia ſubire, vbi te conſilij mei auctorem, quibuſuis prædibus portiorem laudare poſſem. Sanè in publicum prodire nolebã; quia putabam, ſi rectè feciſſem, ſatis eſſe mihi ad gloriam Xyſto Pontifici Maximo, huicque auguſtiſſimo Principum virorum conceſſui placuiſſe dicendo. Sin verò res aliter eueniſſet, ac volebam, hominis putabam eſſe parum prouidentis, ſibique malè conſulẽtis, qui ſuæ inſcitiæ teſtes quęreret, nec ſe tenebris abderet ſempiternis. Verùm quando tu vnus mihi omnium inſtar es, obſequar iudicio tuo, patiarq́; hoc quicquid eſt meum diuulgari, tùm quòd incredibili deſiderio ſemper flagrauerim teſtificandi tibi quanto ſemper in pretio virtus; honoſq; tuus apud me fuerit. Tum quòd certo ſciam, gratiſſimum me patri meo facturum, vbi videbit obſeruantiæ ergo te ſuæ nouum in me veluti fętum ſuccreſcere.

# ORATIO.

FOELIX Pontificatus tuus futurus, Beatiſſime Pater, quod iamdiu orbi vniuerſo chriſtiano diuinitus impoſitum Beatitudini tuę nomen portĕdebat, tantum lętitiarum Chriſtianis gentibus cunctis attulit, quantum nec oratione exprimere, nec cogitatione aſſequi quiſq́ poſſit. Atq; vt de reliquis gentibus ſileam, quæ iampridem ad Beatitudinem tuam gratulabundæ accurrunt, Deo immortali ſingulares gratias agentes, quod huic auguſtiſsimo orbis terrarum ſenatui eam mentem dederit, vt te Santiſs. Domine, in hoc altiſsimum, omniumq; maximæ dignitatis ſolium eueheret, cuius antea perſpecta ſemper incredibilis quædam diuinarum rerum, maximarumq; artium ſcientia, vitæ integritas, in difficillimis grauiſſimarum rerum explicandis conſilijs prudentia, in Deum religio, in omnes iuſtitia, orbi vniuerſo ſpem fecit, te aliquãdo regnante aurea ſæcula reddituram: Tantum profectò te Pontifice renunciato Auenio tua, cuius nomine hodie dicimus, & ſpei, & voluptatis concepit, quantũ non modo hoc breuiſſimo temporis curriculo exponere; ſed nẽ renaſcentis quidem ſemper æui infinitis ſæculis adumbrare quemquam poſſe confidam: Etenim ſi ea ſumma lætitia dicenda eſt, quæ grauiſſimos, accerbiſſimosq; luctus præter ſpem conſequitur; Profectò ex iſta Beatitu tuæ a Deo Opt. Max. delata dignitate tantum Auenio voluptatis percepit, quantum ei poſt hominum memoriam percipere nũquã contigit. Frementibus enim vndique armis, & veteri miſere tumultuantis, ſeq; ipſam conficientis Galliæ vulnere accerbius recrudeſcente in medio conflagrantis Galliæ incendio miſera, & infelix Auenio in luctu, & ſquallore eo vſq; verſata eſt, donec ſummi delati virtuti tuæ honoris acceptus nuncius eam; & vt melius ſperaret erexit, & omnes calamitatum tenebras, tamquam noui exorientis ſolis iucundiſsimis radijs diſsipatas longè, latèq; propulſauit. Declaratum eſt enim te Pontifice declarato non iam fortuito quodã

 casu

caſu ferri in hoc orbe omnia, quod miserè ſapientes quidam olim Philoſophi inſaniebant, ſed ſingulari, ac planè admirabili ſempiterni Dei prouidentia res cunctas adminiſtrari. Reſpexit Deus populum ſuum, & illos infinitæ, atque nũquam exhauſtę clemẽtiæ oculos in nos coniecit, quando ſapientiſsimos hos patres, quorum humeris numquam collapſura Eccleſiæ petra ſuſtinetur, diuino ſpiritu afflatos in eam mentem impulit, vt te in hac altiſsima, cęloque proxima honoris Arce collocarent, qui vnus maximè ſaluti gentium proſpicere, & poſſes, & velles. Deus, Deus hoc fecit, vt vix ingreſsi in concilium ſacro ſancti Patres tibi vni diui Petri Apoſtolorum Principis Nauis gubernacula crederent, vt te Moderatore, & Principe euitatis ſcopulis, ſyrtibuſq; ſuperatis, quibus circũdata, illa nauis in alto agitata iamdiu periclitatur, in tranquilliſsimum quietis portum ſeſe tandem aliquando reciperet. Hac ſpe, cùm reliquæ gentes omnes recreatæ ſunt, tùm præſertim illis calamitatum fluctibus emerſa Auenio tantum gaudij ſenſit, quantũ moribundis, atq; ipſum extremum iam vitæ ſpiritũ anhelantibus redeuntis vitæ ſpes afferre conſueuit. Dicam quod ſentio, ipſa Vrbis noſtrę mœnia, atq; tecta, accenſis in ſumma Arce facibus, ignibuſq; vndique per Vrbem micantibus publicæ lætitiæ teſtibus, auguſtiſsima illa, tuoq; Pontificatui ſacra nocte geſtire mihi præ gaudio viſa ſunt, quod te Pontifice ſe ab ſtrage, & ruina quam eis inuiſi Deo, atq; Beat. tuæ hoſtes minitantur, liberata iri confidant. Nec mirum, Diue Pontifex, hoc cuiquã videri debet, qui quę nobis propria ſunt, præter illa, quæ cum populis reliquis habemus communia pauliſper ſecũ animo reputare voluerit, quę quia clariora ſunt, quam vt ulla orationis luce indigeant, hoc tantùm dicam, lubentiſsimè ipſam, ſi modo per rerum naturam potuiſſet ad ſãctiſsimos pedes tuos aduolaturam fuiſſe Auenionem, vt præſens Beat tuæ, pro tanto ſibi a Deo conceſſo beneficio gratularetur, & gratulata contenderet, vt illos tuos beneficentiæ indices oculos in ſe coniiceres, eamq; in ſumma rerum omnium egeſtate poſitam perſpiceres, perſpectam benigniſsimus parens ſubleuares. Hoc cùm per ſe nõ poſsit, per Nobiliſsimum virum Thomam de Bretons, Ciuem ſuum Regis Chriſtianiſsimi Cubicularium agit, quem potiſsimũ ad Beat. tuam delegandum cenſuit, quod in illo ea concurrant ornamenta omnia, quibus Beat. tuæ gratiſsimus, atq; acceptiſsimus eſſe debeat. Nam vt omittam ſummam gentis Brittoniæ nobilitatem:

tem:

tem, ſupremumq; quo nunc iſte in Vrbe noſtra fungitur, Præturæ Magiſtratũ, ea extant, & illius, & gentis totius pro Republica Chriſtiana præclarè geſta, quæ vix diſertiſsimus quiſq. recenſere valeat numerando. Hunc igitur, ad Beat. tuam Oratorem Auenio miſit, vt per eum Beat. tua intelligat, & quæ fuerit Vrbis tuæ te Põtifice inaugurato lætitia, ſimulq; ex eo diſcat quibus ea nunc in anguſtijs, atq; difficultatibus infęlix, & exercita verſetur. Quæ ſi referre incipiam, vereor ne accerbus nimis è noſtris calamitatibus conceptus dolor, ſanctiſsimum animum tuum effodiat. Quo circa illud vnum breuiſsimè perſtringam, quod maximè deflendum erat, ære alieno oppreſſam iacere Auenionem tuam, coacta illud conflaſſe ob perpetuo deploranda ciuilia bella, quę iam annum quintum, & vigeſimum ſuſtinet, vt ſe ſanctiſsimæ huic ſedi tueatur: horret animus & peſtis, & difficultatis annonæ funeſta tempora recordare, quę Vrbem noſtram ad extrema quæq; coegerunt ciuibus ſuis orbarunt ferèq; vacuam hominibus, quibus ſe ipſam tueri poſſet, reddiderũtq́. Nec vero ſine grauiſſimo doloris ſenſu in animũ reuocare poſsum inter arma miſerè ſepultũ illud ſacratiſſimarum legum Seminarium, Academiam noſtram intelligo, ad quam olim tamquam ad ampliſsimam ciuilis diſciplinę mercaturam è longeliſſimis regionibus remotiſsimę gentes confluebant, quamdiu ſuos Oldrados, Caſtrenſes, Ripas, Alciatos, Ferretos, Papios fęliciſsimè poſsidebat. Hoc vnum dico, quod vtinam non verè dicerem, in medio ruinam minitantis Galliæ Auenionem extremum ſubire diſcrimen, proximos ardere parietes, ceſſare mercatorum negociationes, perditiſsimis latronibus vias obſideri, quoquo verſus illi rapaciſsimos lupos imminere, tam diuturnis malis attritas ciuium facultates, nulla Vrbis vectigalia, nullos redditus eſse, quibus ſe diu poſsit defendere. Nouas dico quotidie detegi hoſtium proditiones, qui hoc vnum ferrociſsimis animis moliuntur, vt euerſæ Auenionis ruina (quod Deus auertat) maximam Galliæ partem ab huius ſanctæ ſedis fide, pręcipitem diſturbent, hoc viderunt maiores tui, qui nullis ſumptibus parcendum ſibi eſse duxerunt, vt hoc firmiſsimum Sanctæ Romanæ fidei in Gallia propugnaculum, ſartum, tectum, quod dicitur, tuerẽtur, quod illius ſalute ſacroſanctæ ſedis huius dignitatem in tribus maximis, atque ampliſsimis Galliæ totius Prouincijs intelligerent contineri: ſed vereor B. P. nè tantarum calamitatum noſtrarũ fluctibus impulſa longius euagetur

getur

getur oratio. Quo circa illud tantum addam; tantis, tamq; acerbis tempeſtatum procellis agitatam Auenionem ad Beat. tuam, tamquam ad Gynoſuræ auſpicatiſsimum ſydus reſpicere per medios fluctuum turbines clauum Reip. moderante (quod vnum in tantis malis ſolatium reliquum habet) D. Grimaldo Prolegato, atq; Archiepiſcopo noſtro meritiſsimo, cuius viri diuinitus a ſanctitate tua nobis conceſsi, vigilantia, atq, prouidentia inter Scyllam, atq; Charybdim adhuc curſum ſuum tenet Reip. noſtræ nauis. Tu illos tuos in nos ſereniſsimos oculos conuerte, illorumq; diuinam maieſtatem præſeferentibus radijs, tamquam præſenti aliquo numine turbulentiſsimas afflictę Reip. noſtræ procellas, tranquilla, & nobis omni ſolis luce clariorem die redde. In te intuetur Auenio, a te opem & auxilium illud expectat, quod ab optimo, & amantiſsimo Principe optimi, & fideliſsimi ſubditi ſperare poſſunt. Rogat, & ſupplex orat, vt in illam fidem intuēs, quam iam inde ab eo tempore, quo in ditionem huius ſanctæ ſedis venit, ſanctam, atq; incontaminatam per varios caſus, per tot diſcrimina rerum ſeruauit; illius antiquiſsimas conuentiones, immunitates, libertatumq; prærogatiuas, quas ſemper maiores tui firmas eſſe voluerunt, eas Beat. tua ratas eſſe iubeat. Quorum omnium nomine per hunc ab Beat. tuam Oratorem ſuum Thomam de Bretons Ciuem ſuum primarium; Regis Chriſtianiſsimi Cubicularium, ſe ſuaq; omnia in fidē & clienticulam Beat. tuæ ſubmittit, eamq; fidem, atq; obedientiam iurat, & vouet, quam principi ſuo ſummo fideliſsimi ſubditi, filij humillimi Parenti optimo, Chriſtiani D. Petri Apoſtolorum Principis vero, atque legitimo ſucceſsori Chriſti in terris Vicario iurare atque vouere poſsunt maximam.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

FINIS.